

Petri altare dedit filiis Bricki. Altare sancte Lucie dedit Gizoni Teuzi et letanias de Gropina. Canonici autem videntes predicta mala, et quia pars eorum quarta ad nichilum devenerat, consilio cum Cucio facto, dederunt sibi unum mansum et quendam modiozem de terra iuxta civitatem pro una quarta parte. Aliam etenim quartam antiquitus habebant ab episcopo Helperto concessam. Convento cum canonicis facto, spontanee in manu episcopi Immonis ipsam tantum quartam partem refutavit. Idem episcopus Immo acceptis 20 libris denariorum lucensium a canonicis, facto privilegio, concessit eam ipsis. Hucusque que in scriptis invenimus, et que ab idoneis testibus didicimus, et que ex parte vidimus stilo tradidimus. Nunc mala que ecclesia inde cottidie patiebatur, scribenda curabimus. Mos erat ut quandocumque letanie veniebant ad Sanctum Donatum causa orationis, audiebant missam ad altare S. Stephani et omnes candelas accensas Cucius habere solitus erat. De ipsis candelis regebat ecclesiam per omnes matutinas horas a festivitate sancti Donati usque ad festivitatem sancti Stephani. Mensura cotidiane candeles erat a cubito usque ad polieis summitatem, et accendebatur matutina inchoante. In festivis diebus augebatur mensura. In festivitate sancti Stephani non est solitum in civitate missam cantari, donec finiatur evangelium in episcopali ecclesia S. Stephani, et hoc (l. huc) ad maiorem missam omnes cives sunt soliti venire et propter honorem et devotionem ac magnas candelas ibi offerre. Similiter et in Domini resurrectione. De predictis candelis S. Stephani regebatur ecclesia usque ad resurrectionem Domini cum candelis, etiam de resurrectione usque ad festivitatem S. Donati. Mortuo vero supradicto Cucio, filius eius Raginaldus paternum suscepit dominium. Oblatione prefate ecclesie parumper deficiente, moreque rapinarum nec decrescente, Raginaldus Cucii filius, quod beneficium paternum ut consuetudo erat non haberet, multoties candelas et corrigias linguis campanarum non dabat nec funes, et quicquid ecclesie competebat, nec faciebat nec suis subiectis custodibus facere iubebat. Episcopus igitur Constantinus, qui eo tempore Aretine ecclesie presidebat, cum omni conventu clericorum et laicorum ex predicta causa Raginaldum in presentiarum iussit adisti. Interrogatum illico est: cum ipse Raginaldus ecclesie beneficium haberet, cur eam non studiose et ut solitum erat regeret. Responsum ab eo est: 'Custodes S. Stephani et alii homines, que mea et que ecclesie sunt, tollunt, regere eam idcirco non possum.' Tunc Raginaldus consilio accepto a suis fidelibus et amicis, et quia ingeniosus erat, reputans, qualiter sibi prodesset et ecclesie dedecus auferret, hoc visum sibi melius est, ut candelas predictas in manu episcopi refutaret, exceptis 12 optimis candelis sibi retentis in festivitate S. Stephani et similiter 12 in resurrectione Domini.